Cupientes aliquid de penuria & tenuitate. Circa prologum huius primi libri sententiarum queruntur quinque. Primum est de necessitate huius doctrine & spectat ad genus cause efficientis. Et est questio Utrum necessarium sit homini pro statu isto aliquam doctrinam specialem supernaturaliter inspirari. Secundum spectat ad genus cause formalis et est questio Utrum cognitio supernaturalis necessaria viatori tradita sit sufficienter in sacra scriptura. Tertium spectat ad genus cause materialis & est questio. Utrum theologia sit de deo tanquam de subiecto primo. Quartum & quintum pertinent ad genus cause finalis. Et est quarta questio. Utrum theologia sit practica. Quinta vero questio Utrum per se ordinetur ad praxim ut ad finem dicatur per se scientia practica.

Primo queritur Utrum homini pro statu isto sit necessarium aliquam doctrinam specialem supernaturaliter inspirari ad quam videlicet non possit attingere lumine naturali intellectus.

Et videtur quod non sit. Quia potentia habens aliquod quid pro primo obiecto naturali potest in quodlibet contentum sub illo sicut in per se obiectum naturale. Hoc patet per exemplum de primo obiecto visus & aliis contentis sub illo. Et ita inducitur in aliis obiectis primis & potentiis. Patet etiam per rationem. Quia primum obiectum dicitur quod est adequatum potentie: sed si in aliquo esset excessus eius circa quod non posset potentia habere actum naturaliter, non esset potentie adequatum sed excederet potentiam. Patet ergo assumptum. Sed primum obiectum intellectus nostri naturale est ens in quantum ens. Ergo intellectus noster potest naturaliter habere actum circa quodcumque ens & sic circa quodcumque intelligibile. Etiam circa non ens. Quia negatio cognoscitur per affirmationem. Ergo etc. Probatio minoris. Avicenna primo metaphysice c. v. Ens & res prima impressione imprimuntur in anima, nec possunt manifestari ex aliis. Si autem esset aliquid aliud ab istis primum obiectum, ista possent manifestari per rationem illius. Sed hoc est impossibile. Ergo.

Preterea. Sensus non indiget aliqua cognitione supernaturali pro isto statu. Ergo nec intellectus. Antecedens patet. Probatio consequentie. Natura non deficit in necessariis. Et si in imperfectis non deficit, multo